

logicae iis fimiles, quas titulo *Sententiae Divinitatis* inter *Dogmaticos* hoc *Vol.* recensui. Ineunt vero: *Principium et causa omnium deus. ante omnia eternaliter. in omnibus inuariabiliter. & post omnia est interminabiliter. Vita uiuens in se antequam essent tempora &c.* Sequentes Rubricae sunt: *De creatione mundi. De creatione angelorum. De libero arbitrio. De prelatione luciferi. De lapsu angelorum &c.* Rubricis non ubique expressis, neque seruato stricto *Doctrinarum* nexu definitur in quaedam de Peccato originali Quaesita, quibus adiectus est *Locus de VII. Donis Spiritus sancti* et de *Visione Dei*. Inceperat Librarius et Epistolam quandam subijcere inscriptam *Venerabili abbati de sancto laurentio ab A. sanctae laudunensis ecclesiae filio*, et ineuntem: *Videndum est domine, ne illa questio, que apud uos sic agitur, non in sententia sed in pugnis uerborum sit &c.* Erat uero quaestio de conciliandis his *Effatis*: *Non uult deus malum, et: Vult deus omnia, quae fiunt*: sed haec e *Codice* excidit.

VII. fol. 67. De laudibus ecclesiae. Ita Series Sermonum inscribitur, ad quos breue Prooemium ita introducit: *Cum sint multa et pene innumerabilia in diuinis uoluminibus, que sponsam christi sanctam ecclesiam significant, quaedam tamen sunt, in quibus eius laudes et maiora sacramenta manifestius et plenius contineri uidentur.* Tum innuit *Paradisum, Arcam Noe, Templum Salomonis,*

Mulierem Apocalypticam, Civitatem Ierusalem &c. Sermo I. Incipit: *Scriptis moyses in libro geneleos quod plantauerat dominus deus paradisum &c.* Ignoro Autorem, et Librario subirascor tam parum de eorum *Nominibus* sollicito, quorum *Opuscula* hoc *Codice* compegit.

VIII. fol. 96. Alexandri regis magni macedonum et dindimi bragmanorum regis per literas pulcherrima collatio incipit. Dixi de his alibi, ut *Index* docet. Ab *Alcuino Carolo M.* oblatae extant in eius *Edit. Ratisb.* T. II. p. 600. et quidem exactae ad praesentem *Codicem*, quem cum *Frobenio* editore communicauerat *Vir* in excutienda docta *Antiquitate* incredibilis solertiae et mihi, dum viveret, amicissimus *Matthias Rieberer Styrus* e *Soc. Jesu.*

DCCCXXIII.

Codex membraneus *lat. Sec. U. 679 XII. Folior. 71. 4. minutius*, sed bene exaratus et rubricis distinctus *Honorii Augustodun. Gemma Animae* est, *Compilatio liturgica* jam *Vol. I. P. 2. col. 1261.* et *P. 3. col. 2858.* a me relata, hic absque diuisione in *IV. Libros* et *Capita* decurrens, praeeunte *Epistola Fratrum ad Honorium*, eius *Responso* et *Prologo*, ut *T. XX. Bibl. PP. Lugd. p. 1046.* Juvat porro cum hac *Editione* *Codicem* nostrum metiri. *L. I. c. 8.* sistit in his uerbis *Codex fol. 10. iudicis ira placetur.* Progrediuntur *Edita* usque ad *Libri finem* *Capitibus 243.*

243. *Fol. 15.* deest in Codice totus Titulus de VII. Canticis edit. p. 1084. *Fol. 22.* subplet Codex, quae defunt in edit. p. 1094. ad finem c. 43. videlicet: *quia et christum ea die suum ieiunium incepisse quem feria III. baptizatum cognouimus.* *Fol. 23.* omittit Codex c. 49. et 50. quae habentur edit. p. 1095. *Fol. 29.* p. 2. omittit c. 143. a verbis: *simul in eternum gloriantur;* et totum c. 144. Extant haec edit. p. 1106. *Fol. 31.* omittit c. 156. edit. p. 1108. *Fol. 31.* p. 2. Codex inter c. 162. et 164. quae habentur edit. p. 1109. loco c. 163. interfert aliud huc certe non pertinens de Significatione partium Missae, quod incipit: *Quae celebrantur in officio misse ante lectum euangelium respicientia sunt ad primum aduentum domini &c.* *Fol. 45.* perorat Honorius: *Sed jam tempus est calamum deponere &c.* ut in edit. Itaque Codex hic non agnoscit a prima manu alteram Peroratiunculam, cujus clausulam dedi P. 3. *supracit.* at vero paulo recentior calamus eam subplevit in margine, ubi incipit: *Ecce filie iberusalem quas delicias uobis preparavi &c.* et ad sacras Virgines potius quam Viros directa videtur. Prima porro manus non nisi interposita Rubrica: *In die sancto Pentecostes, Συλλογῶν* Sermonum seu potius Materiam homileticam orditur, quae a dicto die usque ad *Ascensionem Domini* totum anni circulum decurrit hoc initio: *Verbo domini. i. per filium. celi ad litteram vel angeli &c.* et fine: *quia*

uisitauit et fecit redemptionem plebis suae. Multae in his piaae Narratiunculae, quibus sponsorem agere nolis, nec ullus eorum cum praecedentibus *Liturgicis* nexus. Interim, ac si unum idemque Opus essent, terminavit rubro Librarius: *Explicit gemma anime ab Honorio compilata.* Ita res Autoris hujus nondum in vado sunt. Catalogum Scriptorum suorum ipse texuisse videtur in Opusculo de *Luminaribus Ecclesiae* L. IV. c. 17. Reperit Tritemius n. 357. et Bern. Pezsius in *Dissert. Isag.* T. II. *Thes. Anecd.* p. 4. Inter ea est *Refectio mentium de Festis Domini et Sanctorum*, item *Pabulum Vitae de praecipuis Festis.* At ea non extant, ait *Fabricius in Bibl. med. Lat.* L. 8. Quid si detecta sunt in hoc Codice, quamvis titulo destituta et per imperitum Librarium cum *Gemma Animae* perperam connexa?

DCCCXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 3328 XII. Folior. 67. 4. caractere minori eleganter perscriptus et rubricis distinctus liturgicum *Honorii Augustodun.* opus est *Gemma Animae* inscriptum, et non semel a nobis relatum. Integrum hic legitur una cum Epistola praevia et Responso *Solitarii*, quo nomine *Honorium* compellat Librarius, item Epilogo, qui in *Editis Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1128. desideratur, et incipit: *Ecce filie iberusalem quales delicias uobis preparavi &c.* omnia a prima manu.